



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

IV. Quid in ea nauigatione gesserit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

vt in Iaponiam vsque comitarentur. Nihilominus prudenter quoque prospiciens rebus futuris, sensim eas res, quas ibi ad animorum salutem censebat oportunas, diu ante comparauerat: eius generis erant sacra ornamenta, Diuorum imagines ad aras exornandas, libri perutilis. Nam cum omnia in Armuziano emporio abundarent, prospexit, ne Iaponica egestas animorum salutem retardaret. Eas res clam in nauim illatas Goam detulit, & B. Xauerio, iam spe profectiois Iaponicae deiectus tradidit, vt quod ipse ire non posset, ea quae pararat, praemitteret, & illius gentis, quantum posset, salutem promoueret.

## CAPVT IV.

*Quid in ea nauigatione gesserit.*

**N**ORONIAE classis (is erat Proregis Alfonsi Noroniae, qui Greg. Caprali successerat, ex sorore nepos) recepta Catifa ex Rumibus victor Goam redibat; in eius nauim, vt dixi, Praetoria Gaspar

conscenderat, iam Imperatori, iam  
 classi notus; quippe qui ipsum An-  
 tonium & reliquos omnes ad duo  
 ferè millia tanto labore expiarat,  
 vt biduò toto aliquandò nō come-  
 deret, duas ferè quotidie ad somnū  
 horas vix haberet. Ea prætoria sex-  
 centi mortales vehebantur: quàm  
 ideò elegerat, vt & labor & fructus  
 latiùs pateret. Consueta Gasparis  
 fuerunt officia; sed fructus etiã ma-  
 ior, potissimùm in sublatis iuramē-  
 tis, lusibus, & alijs prauis consue-  
 tudinibus, quas ferè secū inuehit li-  
 centia militaris. Doctrinæ Christia-  
 næ cursus erat, pro Gasparis institu-  
 to, quotidianis, atque item cetera,  
 quæ toties vix sine tædio repetun-  
 tur: sed ab eo tamē nō solū sine tæ-  
 dio nō fiebāt, sed magno insuper so-  
 latio; potissimùm verò, cum iam  
 discrimen adijsset, nescio quod,  
 narrat se magna lætitia perfusum,  
 quòd videret, quorsum hæc à nu-  
 mine immittantur. Et sanè non ad-  
 modum feliciter nauigasse, vel ex  
 ipso itinere colligi potest. Nam eo  
 in

in itinere 500. leucarum, quod dierum ferè quindecim spatio peragitur, duos menses insumpserunt. Gaspar enim sub medium Septembris Armuziâ soluens Goam tenuit, sub medium Nouembrem, anno salutis nostræ 1551. ac fortè itā prouiderat Deus, vt ea classis tam necessario auxilio, tãto diutiùs magno suo bono frueretur. Et sanè non videbitur sibi vel Gaspari defuisse. Nã tantus erat apud omnes ardor Gasparis audiendi, videndi, fruendi, vt non modò qui eadem vehebantur naui, eum auidissimè audirent verba faciètem, sed reliqua etiam classis diebus sacris vela submittens ad Prætoriam adremigabat, ad quam festo tubarum sono omnes euocabantur, vt concionantem exaudirent, nec quisquam discedebat, nisi vbi Gaspar benè omnibus fuisset apprecatus. Tum denique iterum velificantes quisque suum iter peragebat. Quoties autem ad aquandù classis portū aliquem capiebat, prima Lusitanorum erat cura,

ramis editiorem aliquem locum ad concionem instruere; prima quoque Gasparis erat cura, concionari. Cū igitur Masquate exscendissent, bis est ibi concionatus: vltimo porrò die plurimi meretricijs amoribus implicati, pellices suas Gasparis auctoritate dotatas dimiserunt, quibus ille, ne ad vomitum redirent, maritos dedit. Inde ad tollendas inimicitias aggressus, quotquot inter se dissidebant, aut se mutuò pro-uocauerant, quod in tanta militum multitudine non poterat esse infrequens, diligenter conquisitos eodē die (tantum apud omnes gratia valebat) composuit: ac potissimū nobiles duos acerrimè inter se dissidentes, & cuius litis causa iam necesse aliquot & alia multa mala intercesserant, eos captiuos liberos mitti iussit; ac iā sibi mutuò conciliatis iusiurandū exegit, positis supra sacrum Missarū volumen manibus, nunquā se aliàs inter se mutuò futuros inimicos. Nec solū illos è custodia, sed ceteros quoque eodem die

die magna ducum voluntate dimi-  
 fit, quibus Gaspar ita acceptus erat,  
 ut eos regere videretur vniversos.  
 His itaque Masquate perfectis, vbi  
 Diensem portum tenuissent, non  
 segniùs quàm concionibus, quàm pri-  
 uatis exhortationibus, discordes ut  
 redirent in gratiam, persuasit, at-  
 que alia ad animarum vtilitatem  
 salutaria: inde Baccainum venit,  
 & mox cum P. Ludouico Froez, re-  
 cens Christo à Patre Melchiore Gõ-  
 zalues genitos lustrauit.

Baccaino postquam soluissent,  
 illud accidit memoria dignum. Ex-  
 cubabat vbique Gaspar in proximo-  
 rum salutem, Deusque gratia sua  
 plures commouebat interiùs. vnus  
 ex ijs ne permoueretur, obsistebat,  
 ut ne vulnere Gaspari, qui tum ade-  
 rat, aperiret. Is porrò cùm quadam  
 nocte vigil in lecto iaceret, subitò  
 sensit, ac si quis eum compressis  
 faucibus conaretur præfocare; im-  
 plorat subitò Deiparam, & remissus  
 est paululum, sed non omninò sub-  
 latus dolor. Cùm igitur tandem

obdormisset, visus est in sopore sibi Gasparem videre ac audire quaerentem; quæ doloris causa esset; & innuentem quodammodo, suum esse silentium ac peccata, quæ ipse in faucibus retineret, visus idem fauces cruce signare, ac simul dolor abiit. Itaque statim euigilans exiit ad Gasparem, quem adhuc Baccaini versari cogitabat, sed frustra, accurrit. post hæc in portum Chaul, vbi stabat Lusitanicum fortè præsidium, Gaspar ex improviso appulit. iam Taurilia (ludi genus est apud Lusitanos) adornabant, & arundines in discurrentes equites (aliud ludi genus est) iaciendæ parabantur: subitò à ludicris ad seria conuersi, viso Gaspare, sub dio pulpitem iuxta ædem sacram D. Sebastiano ibidem erexerunt, postulantes, vt verba faceret; quod & fecit. Idem eodem die sub noctem è Sodalib<sup>9</sup> Misericordiæ est rogatus, qui dies erat tum Diuis omnibus sacer, annuit; & tantus fuit concionis motus, vt auditores non solum lacrymis, sed pug-

*Concionis eius  
quantus  
motus.*

-10633

pugnis etiam in se ipsos fauientes, nouo more Oratori nostro applauserint. Nec fructus minor fuit subito, cum descenderet. Sacerdos ex incolis vnus ad pedes eius prouolutus, ita collacrymari coepit, nunquam ut affari potuerit, quorsum aduenisset. Hoc vnus; quod verò dicam, populi est vniuersi. Nam eius feruore ac zelo commoti, mox ab eo Collegium ibidem petierunt. ipse Vicarius ædem sacram, cui iam ex nunc renuntiaret, offerebat: idque ut facilius exoraret, palàm positus genibus Gasparem supplex rogabat. populus suis sumptibus Collegium sibi sumebat exstruendum, & sufficiente prouentu dotandum: quod interim dū fieret, quadringētos parados extemplo ad exstruendā Patri ac socio domum offerebant. Quib⁹ Gaspar omnibus post actas enixè grates, se nihil posse, ac solū esse abiectissimū Societatis nostræ mancipium, respondebat. Admirabile est, quid eo biduo fecerit, imò nescio quid non fecerit: bis concionatus,



tus, confessiones audiit, dissidentes composuit, ægros in valetudinario, in domibus, captiuos in custodijs publicis visitauit; & hæc præter Missæ sacrificium & horarum Canoniarum recitationem. Illius socius Ludouicus Froez, qui hoc iter describit, ad ea obstupuit, ac felicè se, qui hæc videret, existimauit. Inde magnum sui desiderium ac Societatis Chaul relinquens, Goam petiit, ac sub medium, vt dixi, ferè Nouembrem appulit.

## CAPVT V.

*Quid Goæ fecerit ad aduentum vsque  
B. Xauerij.*

**G**OAM vbi peruenit, Cocinū vnde non nisi Aprili mense anni sequentis erat, vti putabat, soluturus, mox ire meditabatur, quò sese ad iter cōpararet: sed cum Goanus Rector (is erat P. Paulus Camers, cui iussu Xauerij P. Antonius Gomez tantisper munus resignarat, dum aliud statueretur, vt dicemus) interim Goæ tantum opera-